

Martin Brasch

**DE VITA ET MORTE || ILLVSTRISSIMI ET CELSISSIMI PRIN-||CIPIS AC DOMINI,
DOMINI || SIGISMVNDI || AVGVSTI || felicis memoriae || Ducis Megapolitani ... ||
Domini clementissimi piè || et placidè defuncti anno 1600,|| 5. Septembris die ||
PARENTATIO carmine Epico expressa || & publicè in Academia Rostochiensi ||
sequente 1. Octobris recitata || A || MARTINO BRASCHIO Logices || Professore et
Collegij Philosophici p.t. Decano.||**

Rostock: Möllemann, Stephan, 1600

<http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn1000475417>

Druck Freier  Zugang





Universitäts
Bibliothek
Rostock

[http://purl.uni-rostock.de/
rosdok/ppn1000475417/phys_0001](http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn1000475417/phys_0001)

Mk - 1420. ~~Ant~~ 1609. <16.Jh. >



DE VITA ET MORTE

ILLVSTRISSIMI ET CELSIS SIMI PRIN-
CIPIS AC DOMINI, DOMINISIGISMUNDI
AVGVSTI

felicis memoriae

Ducis Megapolitani, Principis Vandalo-
rum, Comitis Suerinensis, Domini Rostochij
 Et Stargardiae, Domini clementissimi pie
 Et placide defuncti anno 1600,
 5. Septembris die

PARENTATIO carmine Epico expressa
 & publicè in Academia Rostochiensi
 sequente I. Octobris recitata

A
 MARTINO BRASCHIO Logices
 Professore et Collegij Philosophici p. t Decano.

ROSTOCHII,
 Typis Myliandrinis, Anno M. D. C.



RECTOR ACADEMIAE
Megapolensis Rostochiana

IOHANNES FREDERVS
S. S. Theologiae Doctor & Professor.



Vob ad omnem vitæ humanæ conditionem apposite
dixit Lyricus vates:

*Pallida mors aquo pulsat pede pauperum tabernas
Regumque cures :*

id quæ vrbs, quæ regio, quod regnum est quod non persæpe ex-
periatur? Non solum in alijs Germaniæ patriæ nostræ dulcissimæ
prouincijs singulis ferè annis discedere quosdam videmus ex
illis, qui summum magistratum gerunt: sed & domi hanc iactu-
ram proximis annis lensimus, atq; etiam nunc sentimus. Tu-
mulauius Suerini ante annos octo intra triduum duos Mega-
politaniæ principes inclytos felicis memoriae CH RISTO-
PHORVM Alberti & IOHANNEM IOHANNIS
ALBERTI filium. Nunc eodem in loco post paucos dies
tumulo inferentur exuixit illustrissimi principis & Dni Dni
SIGISMUNDI Augusti Ducis Megapolitani &c. Dni nostri
clementissimi: Qui Iohannem fratrem & Christophorum patru-
um hisce septimanis proximis vitam cum morte in vera fide & in
Deum fiducia commutans secutus est. Natus ille fuit ex il-
lustrissimo & inclyto principe IOHANNE ALBER-
TO veræ religionis & literarum cultore & nutritio & Acade-
mia huius patrono munificentissimo: & ANNA SOPHIA
Alberti primi Borussiæ ducis filia harum regionum matre olim
clementissima: & vnâ cum fratre ab illustriss: & optimis ac pietatis,
humilitatis, sapientiae, misericordiae erga pauperes, beneficen-
tiæ in bene meritos & aliarum virtutum studiosis parentibus ad
hæc ipsa virtutum quæ in eis intuebantur, ornamenta affuefa-
ctus. Verè enim de illius Celsitudine compertum atq; explo-

A 2

ratum

tatum habemus: quod nihil potius illi fuerit pietate & verae religionis cultu & Dei timore: quod ab omni superbia, quæ plerumq; animis in alto collocatis innasci solet, abhorruerit, quod & humilitatis erga Deum & humanitatis non solum erga sui ordinis sed etiam inferiores homines studiosus, quod in subditos clemens, erga quosvis affabilis extiterit. Inanes verò sumptuum profusiones in res inutiles & non necessarias deditus est: neq; tamen à splendore aulico principe digno quicquam discessit neq; non erga eos, qui aliquid à sua Celsitudine peruerunt, vel quibus ob merita aliquid deberi, vel ob egestatem subueniendum esse putaret, liberalem & beneficum se præstitit. Commemorari plura non opus est. alibi ea audiuntur. Fuit autem illustrissimus hic princeps valetudinarius iam per sesquiannum laborans hydroperico languore, ut existimatum est: à quo, ut liberaretur, non solum præstantium medicorum opera usus, sed etiam superiore anno ad Thermae Carolinas profectus est. Etsi verò non tam Thermarum harum usum, quam aliorum medicamentorum applicationem istius morbi discessus vel certè non mediocris remissio secuta sit: tamen alijs symptomatis subindevexatus, & ante paucas septimanas febri quoq; morbo tentatus est: quarum ægritudinum concursu paulatim magis & magis, ut fir, exhaustus, etsi morbi & dolorum cruciatus non sentire & acerbè ferre non potuerit, tamen se sub potenti Dei immortalis manu humilians, hominem se esse & propter peccata morbis & morti obnoxium æquè, quam vilissimum quenq; nullumq; se patientia & diuinæ opis imploratione remedium salubrius usquam reperire saepè professus est. Tandem mortis aduentum ipse præsentiscens, cum eam in propinquuo & non ultra diei spacium abesse diceret, seq; ad pium ex hac vita discessum consolationibus ex Christi merito lectissimis sacrae scripturæ dictis proposito haustis firma animi fiducia præpararet, nocte, quæ diem mensis Septembris quintum secuta est placidissime & obdormiscenti similis, cum ad extremum

tremum vitæ spiritum intelligentiam & vocem retinuissest integrum, inter suorum gemitus & lacrymas piam & caram Deo animam exhalauit. Quamvis autem cum illius Celsitudine præclarè actum sit, ex tot ægritudinum conflicitatione recepta & in beatissimum vitæ statum collocata: tamen nos ditionis huius incolæ non dolere non possumus, quod patriæ principe iterum orbati, familiam Ducum Megopolitanorum Dominorum nostrorum clementissimorum subinde magis magisq; diminui videamus: & verò etiam debemus dolorem nostrum tum illustrissimæ viduæ eiusq; inclytæ familiae sum verò optimo & illustrissimo Duci VLRICO, à quo nunc omnis ditionis huius gubernatio, atq; etiam Academiæ nostræ salus dependet, patri patriæ clementissimo, probare & contestari: nec non manibus defuncti principis Sigismundi ultimum, si quem possumus, honorem exhibere. In quem finem DE VITA ET MORTE illustrissimi huius & præclaræ memoriae Ducis, carmen Epicum consecit vir clarissimus & eruditissimus M. MARTINVS BRASCHIVS collega noster carissimus & pro tempore Collegij Philosophici Decanus: De quo eiusq; in vitroq; orationis genere dicendi & scribendi facultate & indole quod & quale sit celeberrimi doctissimiq; viri PAVLI MELISSI iudicium nuper est editum & alioquin intelligentibus satis constat: cuius recitatione publica cum crastino die hora NONA sanctissimis principis manibus parentare decreuerit: hortamur reuerendos clarissimosq; Dn. Professores, Doctores, Magistros, & studiosam iuuentutem omnianq; Academiæ membra, vt illi parentationi promptè & frequenter intersint: existimantes se hoc officium non solum Academiæ, sed multò magis toti illustrissimæ Ducum Megopolitanorum familie meritissimò debere. vt celissimi & optimi principis & Dni DNI VDALRICI, Nestoris Germanici Dni nostri clementissimi vitæ diuturnitatem, & Iuniorum principum D. ADOLPHI FREDERICI & D. IOHANNIS ALBERTI salutem & in columitatem Deo immortali principibus sapientiam & vitam danti & proroganti precibus deuotissimis commendent. P. P. pridie Cal. Octobris Anno cl̄o I^o. C.

DE VITA ET MORTE
ILLVSTRISSIMI ET optimi prin-
cipis & Domini , Dn. SIGIS-
MVNDI AVGVSTI Megapo-
litaniæ Ducis etc.

CARMEN EXEQVIALE

 *Vod veriti, & dudum nobis formido
minata
Prædixit, tandem veris rumoribus af-
fert
Fama, obijisse ducem quem MEGlaburgica quintum
Stirps numerabat adhuc, SISMVNNDVM: iamq;
sepulchrum,
Accipiet cineres, lachrymosaq; funeris ossa.
Cingere funere a nunc cingere Musa cupresso,
Non te lata decent : pulla velamine vitta
Nunc tetricum caput & deformem obnube capillū.
Huc lachryma & gemitus adsint: nunc flere popellum,
Nunc decet & proceres. quin nos ad litora Varni
Nunc quoq; luctis onus par est coniungere lessum.
Vulgares persape homines, vulgaria flemus
Funera , num princeps patriæ indefletus obibit ?*

Et

Et quem fel nigrum inuidia & sic vstulet , vt non
Extremos laudum SISmundo donet honores ?
Aut cui non pietas animum percellat ? amorq;
Natius patriæ , votis ad sidera fusis.
Obsecrit vt stirpem seruari gentis auitam
Meglaburgiaca , atq; annos regnare perennes ?

IANALBERTÉ , olim fasces cui patria tellus
Contulit & dominum agnouit , mitemq; parentem ,
Nunc etiam ex binis postremus ad astra secutus
Tenatus , manesq; tuos . nam præuius alter
Anteijt . solos ex te superesse nepotes
Cernimus , atq; utinam multos cernamus in annos .
Sed si maiorum non fas abolescere facta ,
Sig; patrum virtus decorat clarissima natos ,
Manat & in prolem plerunq; haud degener ardor ,
Te patre felicem SISmundum ! te neg; iusti
Nec pacis , nec erat pietatis amantior ullus .
Ingenij bonitas in te luxisse perinde
Illustris perhibetur , vt inter lumina cœli
Eminet ante alios ignis Phœbeus ignes .
Te Musæ & Charites , Themis & Tritonia Pallas
Cingebant ; non barbara erat nec inhospita doctis
Aula tibi , non clausa manus , nec parca Camenis .
Hoc nouit Varnus , nos & quicunq; Lyceo

Varneo,



Varneo, Masisq; almis, Phœboq; litamus,
Nouimus, & cunctis non inficiabimur annis.
Ergo etiam in nato dotes fulsere paternæ,
In primis pietas: pietas, quæ maxima virtus,
Quæ dux virtutum, quæ mater & aurea norma est.
Namq; age victrices turmas, gere fortia bella,
Deiectas euerte urbes, duc mille triumphos,
Ingenij presta subtilis acumine, lingua
Facunda doctusq; audi, titulisq; superbi
Sexcentis, FELIX dicare & MAGNVS & Afris
A domitis. quid enim? non terq; quaterq; beatum
Clamabunt rostra & raucâ plebecula voce?
Ah nimis infelix, nimis atq; inglorius avum
Conclades, pietas nisi tantas inclita dotes
Illustreret, veluti lucentem gemmeus ignis
Annellum pietas una est gratissima Diuis,
Unica pandit iter radios ad limina cœli.
Hac sine quodcunq; est pulchri, quodcunq; bonorum,
(Dicam equidem) exanime est planè & deforme
cadauer.

SISmundo hac igitur cœli ad tentoria ductrix,
Hac genitrix vita, aeterna fultrixq; salutis
Ante alias curæ. non certe obsederat illi
Pectora contemptus Diuum, non ista pericli

Secura

Secura impietas, cui quicquid pulpita clamant
Ardua templorum, iocus est & lusus inanis,
Cui Christus nugae, vanus cui fulmina legis
Terror, & extremus non est nisi fabula index.
Quin ille ante oculos caelestia dogmata Christi,
Ante oculos fædus, iuramentumq; gerebat
Christiadum, sacri firmatum aspergine roris
Pignore firmatum canæ. ceu marmore pressam
Cernimus effigiem, diuina oracula chartæ
Credita sic animi fibris impresserat imis.
Atq; (ut certa fides dictis) nisi corporis ægra
Forte valetudo male sanum in limine priuo
Continuit, nihil aetherea seclusit ab ade
Saluificisq; sacris & vivi voce ministri.
Vidimus & lucem quoties aurora reduxit,
Mollibus ut surgens stratis, nil cœperit antè
Humanorum operum, triplex in simplice numen
Quam prece deuotâ veneratus, ad astra leuasset
Supplex casariem, votis caloq; litasset.

Ast age ciuilis quo pacto munia vita
Expleuit? qui iustitia defensor & aqui?
Quæ probitas animi? quænam clementia? nunquid
In miseros non parca manus, verbiq; ministros?
Quaq; aula modus & ratio? num prodigus? & qui

B

Forte

Fortè exhauriaret nimio patrimonia sumptus?
Iustitia est equidem reliquarum in principe gemma
Virtutum, quā non in calo illustrius ardet
Lucifer. hanc regum rex & dominator Olympi
Insculpsit sceptris regum, legesq; tueri
Iusit & omne nefas vtrici excindere ferro.
Hac nisi confirmet regnum, populumq; refrenet,
Omnia eunt pessum, vis effrenisq; libido
Exultat, fas iusq; fugit, pax exulat omnis.
Illa tamen magis effulget, magis occupat acres
Obtutus hominum, maiorq; videtur, ubi ample
Imperij fines, ubi rex populo sa gubernat
Oppida & innumer as animas litesq; coerces.
At data SISmundo ditio non magna, sed ultro
Arctis pacatus princeps regnabat in oris
Linquens fraterna maiora negocia cura,
Cum parte imperij, parte & potiore ducatus.
Nec tamen idcirco sancta minus ille vacabat
Iustitia sacris, quam si vel Perficare regna
Vel si Romanum frenaret legibus orbem.
Quod si fortè tibi mirum hoc magnumq; videtur,
Dic mihi, vel parua qui consul præsidet urbi,
Non iura & sanctas & quæ defendere leges,
Parcer eq; insonti & sceleratos plectere pænis

Ille

Ille potest, quām si compesceret oppida centum?
Quid dicam? ut sumptus prudens vitārit inanes?
In quibus à summis pāssim peccatur & imis.
Principis hāc; inquis, virtus non magna. quid ergo?
Cæsar is ingenium cernis frugale TIBERI,
Qui quamvis vīto non dicitur oblitus vno,
Parcior ille tamen, quām luxuriosus haberi
Maluit, ingentemq; auri post fata reliquit
Non sibi, sed regno summam hārediq; futuro.
Cernis & hāredem? non annus fluxerat vñus,
Thesaurum luxu cum iam prodegerat omnem.
Hunc magis annē illum laudas? ego rectius illum.
Nam quid habet laudis plebi dispergere nummos?
Excedris fabricare rates? insternere gemmis
Puppen? quid iactus expulsum molibus aquor
Siccare? atq; alibi campis inducere montes,
Ast alibi montes campis aquare? quid vndas,
Et mare vinosum facere, (admirabile dictu)
Ut repleta merō stagnent spumantia Baccho
Litora, odoriferosq; secent rostra aurea fluctus?
Mox at, ubi exhaustam nummus defecerit arcā,
Ponere vectigal, miseros exugere ciues,
Fraudibus hos, auidis illos lacerare rapinis,
Priuatas scutari arcas, neq; parcere sacro?

B 2

Quām

Quām dispar illis nōster, qui principe dignam
Cui atqe extēno quamvis ostenderit aulam,
Sic tamen inclusit mediocribus omnia metis,
Vt neque subiectam miserè deglubere plebem
Est opus, sumptu neque millia multa profuso,
Soluat ut irascens hares, conflauerit aris.
Quim hares grato post mortem praedicat ore,
Lataturque bonis aditis, cinerique precatur
SISMVNDI terramque leuern, pacemque perennem.
Ergo vappa fuit, vel qui nil distet auaro?
Non fuit. illum ingens seruorum & splendida turba,
Illum multus eques circundedit, vt neque maior
Fratri olim catus fuerit nec splendidior res.
Principe non illo doluit mercede negatâ
Nec quis pro meritis sperato munere frustra
Engemuit. nōrunt equites: nouére clientes
Plebei: medici nōrunt. non pauperis illi
Dextera desertrix, neque mens auersa Poetis.
In primis bonus in sacros largusque ministros.
Omnibus ille quibus lachrymis defletur acerbè
Defunctus, magnoque velint ex morte redemptum.
Quid quod STRElitum ventura ad sacula loquetur
Munificum pietatis opus? pulcherrima templi,
Principe SISMVNDO nasa atqe educta sub auris,
Visitur

*Visitur hic moles. speciosior altera toto
Ut perhibent, nusquam stat conspicienda ducatu.
Quid? re quā superisq; pares, ferriq; sub astra
Dicimur, an taceam mitis clementia? teq;
Quam perhibent tumidos animis eradere fastus?
Quamuis non arces semper laqueataq; regum
Culmina conscendas, animis si quando superbis
Despiciat magnos simul & vilissima corda
Contemptor superūm atq; hominum rex improbus.*

at te

*Non sprenuit, non præcipitem turbauit ab aulā
SISMVNdus, proprij quin te per viscera cordis
Admissam, Diue in morem veneratus, amauit.
Illi humiles animi sensus; mens conscientia fastus
Nullius; haud quenquam rigido conterruit ore,
Affatu facilis; summis non asper & imis.
Illum humilem mensam & frugalia prandiaciuis
Non dediantem coniuiam aspexitus, olim
Casare in AVgusto quod gens mirata Quiritum est.*

*At non militiæ clarus, non acer in armis,
Quassauit galeam, lorica inductus ahena.
Nec pater aut patruus, nunquid latamur adeptis
His minus? imo ambis patruum complectimur vlnis,
Laudamusq; etiam patrem, caloq; locamus.*

B 3

Nec

Nec cui crista' regit tantum Mauortia crines,
Classica qui cecinit, qui magnas terruit urbes,
Omne tulit punctum. qui se superarit & acres
Qui domat affectus, mortalia carcere frenat
Qui vitia & labes, fortis palmare meretur
Ille viri nomen quid? qui sub rure paterno
Agricolam nutrit? qui tutas cimbus urbes,
Qui mare nauigerum nautis, qui premia Musis
Præstat & hospitium? defendit munia pacis
Catera, conseruatq; bonus; bellator an illi
Eriperet palmam? iusto pax optima bello
Est potior, multis pax anterenda triumphis.

Forte sed & nuptæ tædas, thalamiq; requiris
Fortunam? paribus quis nescit stemmata iungi,
Progeniemq; parem? nostris Pomerania terris
Ad sita, fœcunda præcellens ubere gleba
Principibusq; viris præstans atq; urbibus amplis,
Consortem thalami, qualem exoptarat, honestos
Misit in amplexus, generoso principe natam
BVGSLAO, quo non superum obseruantior alter,
Cui Themis & Pallas, cui commoda publica curæ.
O dum spirabat, felicem hac coniuge! quā non
Obsequiosa magis, magis officiosa nec ulla
Inuentu facilis, que sic exarsit amore,

Sic

Sic obseruauit mentem, sic iussa mariti,
Plebeia ut natam quancunq; ex stirpe superbam
Præse reddiderit. seu tabe exhaustus amara,
Quam moriens binos penè exantlauerat annos,
Defixus lecto iacuit, subtristis \mathcal{E} agra
Astitit in nutus omnes, curasq; parata
In famulatrices: seu de languore fugando
Sollicitus, longè à patria, laribusq; paternis,
Ille salutifero fumantes sulphure thermas,
Thermas, quas perhibent donatas flumine sacro,
Abluere ut morbos possint male-sanus adiret;
Illa latus clausit, comes illa tenacior hast,
Quam Caroli soror Elisabe, comitata maritum
CHRISTIERNU regno expulsū, \mathcal{E} rerum omnium ege-
Per maria \mathcal{E} terras. propè sic \mathcal{E} CL Ara Maria (nū
Per mōtes, per agros, per aquas, per tesqua, per urbes
Exilio quamuis non extera regna petentem,
Sed reducem, simul ipsa redux, comitata maritum est.
Sæpe super longum suspiria plurima morbum
Et largas mittens lachrymas: sæpe anxia succos
Suppeditans medicos \mathcal{E} lenimenta doloris,
Sæpe leuans tristes miti solamine curas.

Atq; utinam positis in puluinaribus agrum
Sic porrò amplectis \mathcal{E} languentia membra trahentem
Optima

Optima quinisset ! magis illi optabile quicquam
Non fuit , aut lachrymis tam saepe audiēq; petitum
A superis . hoc illa dies , hoc anxia noctes
Ingeminans crebris pulsauit sidera votis.

FOVÆ aliter visum , qui primâ ab origine rerum
Imo ipsum ante ortum , prima & cunabula rerum
Finuit certo mortales limite vitas.

Ire iubens animas cælesti è semine cretas ,
Corporeosq; habitare lares & carcere cludi
Non longo ; reuocans mox post stata tempora eas-
Atq; exire iubens , & linquere vincula parent (dem
Illa , ad iussa patris redeuntq; adeuntq; vicissim .

Ergo ubi SIS mundi præscripta exiuerat etas ,
Æternis iussus sedes mutare caducas
Spiritus , ad patrj gemmantia mœnia cali
Jam respectabat , patriamq; subire volebat .
A fatis via qua sita est ; rediūtq; repente
Creuit & in paucas morbi vis effera luce s.

Præsensit princeps (neq; enim illi imponere lethum
Dudum exspectatum potuit ,) fatalia sensit
Tempora & instantem decurso carcere metam .
Ergo nec attonitus (quamuis quem lurida mortis
Non terret species ? quid non mortalia cogit
Pectora lucis amor , vitaq; innata cupido ?)

Ille

Ille sed aeternis pensans peritura, timorem
Pellit & exanguis temnit pallentia lethi
Ora, infinita sperans exordia lucis.

Interea augetur languor, tristesq; susurri
Passim increbescunt. prima inter talia, coniunx
Adueniens (timidam quis fallere possit amantem?)
Consternata ruit. vix & sibi conscientia mentis
Me miseram, exclamat, quo nunc, carissime, rerum
Cardine versamur? quanam hec mutatio? morbi
Quas vires? quem pallorem? que conspicor ora?
Tandem, quod dudum visa est tam lenta minari,
Perficiet Lachesis? toties conuellere adorta
Corpoream molem tandem expugnabit? & atros
Attrahet ad manes? non hec mihi credula, non hec
Fingebam, fore sed, sanato ut corpore mecum
Exigeres reliquos fatis clementibus annos.
O dolor & lachryma! nondum duo lustra peregri
Coniugis in thalamo & iam te mors inuida nostro
Extortum arcebit complexu? abitumq; minaris?
Saltem si qua mihi de te suscepta fuisset
Ante obitum soboles, si quis mihi parvulus aula
Luderet VL Ricus, patrui qui facta referret
Et tua: non planè vidua & deserta viderer.
Quām vellem pro te tales tolerare labores?

C

Quām

Quām mortem tumulumq; pati, te mortis adempto
Ex vincis? quamuis o si mollescere fati
Iura queant, per sacra thori, tadasq; ingules
Vos ego contestor, superi, vos obsecro, fata
Vertite retro, potestus enim, nostrisq; querelis
Heu desperati vitam donate mariti.

Dixerat. Et collo hærescens quām longa moratur
Et pectus pulsat pugnis Et questibus astra.
Ille premens tacitum tabenti in corde dolorem,
Tandem pauca refert: nihil est, quod plurima fando
Car a mihi coniunx quereris, quod si mihi nōstris
Arbitrijs longam liceat producere vitam,
Nondum equidem morerer, non te, dulcissima, solam
Desererem: sed, quod memor i tibi pectore fixum est,
Et nunc esse decet, morti debebimus omnes,
Stat suacuiq; dies, breue Et irrapabile tempus.
Nec metam transire datum est. sic digerit ordo
Fatalis, vita Et mortis sic imperat autor.
Huic ego non parebo libens, si terminus cui
Hic fixus? quod si non hunc indixerit idem,
Viuam, nec moriar. quid tu mitissima mortem
Planctibus anteuenis? FOVÆ liberima fati
Sunt iura, ille potest frenis compescere lethum
Ille meas reuocare potest sanareq; vires,

De

Desine meq; tuis teq; examinare querelis.

Sic ait, utq; potest, simulat pro tempore robur,
Vix & dimittit plorantem & multagementem,
Spemq; metumq; inter. paucis post solibus actis,
Nil medic& potuere manus, nil pocula succis
Impleta: exuperat tabes, augerq; periculum.
Ipse sibi donec finem presagiat & horam.
Hac ait, hac lux est; non has, mihi credite, viuus
Nocturnas superabo moras. ibo acer adibo
Caelestem ad patriam & vobis peritura relinquam.
Obstupere animi procerum. neq; secius ille
Perstat & ad mortem verbo præcordia munit
Æthereo, Christumq; animo, Christum ore frequet.
CHriste salus hominum, proles aeterna parentis
Ad te me refero solum & tua numina adoro,
Tu mihi vera salus, vita & certissimus autor
Tu nostras roseo lauisti sanguine culpas,
Huc ades, hanc fessamq; animam deducito ad astra.
Nec minus è sacris lectissima dicta libellis
Aure babit cupidà, fibrasq; immittit in imas.
Quin licet antè cibo fuerat saturatus eodem,
Nunc etiam sancta se firmat robore canæ
Atq; iter ad tantum præclara viatica carpens
Suspedit calum, mundanaq; cuncta resignat.

C 3

Iamq;

Iamq; ibant tenebrae, media & confinia noctis,
Quando ille exposcens iterum sacra biblia & illas
Haurire aureolas Christi de sanguine voces,
De merito, dicensq; preces atq; ultima verba,
Nil mente emota, nil deficiente loquela;
Sic placide, magna procerum cingente corona,
Ut connuentes somno qui claudit ocellos,
In latus adductum ponens caput, expirauit.

Fortunate nimis princeps; gratissime calo,
Cuit tantos licuit letho superare dolores!

Nunc iuuat exemptum mortalis carcere molis.
Temperiem puram & liquidis spacia auiaceli
Insolitis penetrare modis: ubi non metus, ullo
Ne morbo agrescas, ne te vel lurida febris,
Tabida neve lues, ne uadat languor aquosus,
Ver ubi perpetuum & calitepor aureus, in quo
Purpurea volitant anima, densaque recumbunt
Aetherei patris ante thronum, paana canentes
Latisonum patri atq; agno, quas visitur inter
Et tua, sublimes spatiata per aetheris orbes,
Latitia sensu, vitaq; beata perenni.

Nos tamen in pullos squalentia corpora amictus
Colligere est aquum, nos tristem ad principis urnam
Mittere singultus, atq; exequialia verba

Dicere

Dicere, quæ memori seruet sub pectore Varnus.
Nam licet aduersum nihil & miserabile sanctis
Manibus acciderit, nec nostris ille querelis
Indigeat; tamen orbati doleamus oportet.

Hoc pietatis opus. præsertim in funere tanto,
Quo non eripitur prator, non vilis agaso,
Sed patria princeps. iactura est publica, princeps
Cum moritur patria. ceu, quæ pulcherrima cernis
Templa domosq; altas, illes si forte columnam
Vnam, & adhuc unam tentes subducere, primum
In latus obliquent sese lapsumq; minentur:
Non aliter, si Morta duces excusat, & uno,
Mox & adhuc uno rapto ad penetralia tumba
Paulatim stirpem excidat, Respublica lapsum
Præmetuat nutans, fulcrisq; auertat, oportet.

M Eglaburga domus, stabant tibi quinq; columnæ,
Quinq; duces, patris ALBERTI de semine creti.
Fratribus ex illis unum modò mascula proles
Effecit patrem, nostroq; superstite auo.
JAN ALBerte tibi concessa hac gloria: quanquam
Funera natorum iam passi bina tuorum,
Viuit adhuc sanguis, viuit tuus: ecce nepotes
Fulcra duo imperij, geminae populiq; columnæ
Vos Meglaburge vos o duo germina gentis,

Quos avus atq; pater, quos ad præclara senescens
Frater avi VLricus stimulat, Iane & FRIDErice.
In vos tota domus nunc inclinata recumbit,
In vos defigunt oculos, vos omne fausto
Designant, plebs & proceres, natiq; patresq;
Iustitia & leges, templorum pulpita, ludi,
Pax & relligio, vestris se dedere gaudent
Sceptrorum auspicijs. quin & matrcula queuis,
Si quem ventre gerit, vestris sub fascibus olim
Felicem fore præagit, vos publica vota,
Communes obeuntq; preces. iterum aurea vobis
Principibus nostris nascentur facula terrus.
Viuite & egregijs virtutem extendite factis,
Saclaq; maiorum seruare in postera nomen.
Interea dum vos teneris adolescitis annis,
Et firmata viros paulatim fecerit etas,
VLricus viuat, nulli virtute secundus,
VLricus patriæ pater, in quo vertitur omnis
Nunc rerum moles. quem tot iam cernimus annos
De patriâ benè, de nobis, nostrisq; mereri,
Cui, furor hereticus patrijs quod abactus ab oris,
Quod vis atq; nefas lateant Adamante reuincta
Iudicis & legum; quod Mars, quod & horrida longè
Absit barbaries, equidem carissima vita,

Qua

Que quisquam exoptet, liceat contingere cuiquam,
Mnnera debemus. cui mens sic ferrea, qui non
Hoc superum laudet gratus venerabile donum?
Non multas optet messes, longamq; senectam
Rectoritanto patria, mitiq; patrono?

Quin vos ô lecti iuuenes, iuuenumq; parentes,
Qui sic intentos in me torquetis ocellos,
Inq; meas voces auidas immergitis aures,
Et vos cum populo proceres, queis cunq; recursat
Religionis amor, queis pax gratissima rerum,
Queis leges cordi, queis dira inuisa Tyrannis,
Hoc agite, hoc mecum: seu sol rubefecerit ortum
Sine iterum occasum, medij seu tela diez
Sparserit, ut liceat centenas viuere aristas,
Concessum aut ultra est si quid mortalibus agris,
VLRico & C Arolo, sceptri qui proximus haeres,
Proximus est tutor: pietas, clementia, prudens
Integritas: odium vitij: defensio recti
Cui cura; ast illis cum tandem iniecerit atram
Parca manum (neq; enim quicquam immortale,
quod ortum est)

Vt sub principibus, qui sunt de stemmate nati
Meglaburgiaco, porro & nascentur ab illis,
Vertere aratori sulcos, imponere vitem,

Pascere

Pascere oves, plantare pyros & condere messes,
Neu quisquam nostris regnet peregrinus in oris,
Hoc orate Deum, mecum hoc exposcite calo.






Universitäts
Bibliothek
Rostock

[http://purl.uni-rostock.de/
rosdok/ppn1000475417/phys_0030](http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn1000475417/phys_0030)



Universitäts
Bibliothek
Rostock

[http://purl.uni-rostock.de/
rosdok/ppn1000475417/phys_0032](http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn1000475417/phys_0032)



Cere oues, plantare pyros & condere messes,
n quisquam nostris regnet peregrinus in oris,
corate Deum, mecum hoc exposcite calo.

